

Branchias habet utrinque quaternas, et juxta eas, pinnas binas, utrinque unam; aliasque in imo ventre, caudae magis quam capiti vicinas. In dorso fere medio una haud magna, nullis aculeis armata reperitur: Imo ventri prope caudam alia una etiam minor haeret. *Cauda* ipsa in falcatam pinnam definit. Totius *figura* ni paulo longior esset, ovata censeretur. *Squamis* magnis tegitur, ex quarum medio albi et pyramidati *aculei*, in fine veris et ineunte aestate, enascuntur. Quibus cum primis 40. aestivis diebus horreat, aestate procedente imminuuntur primum, demumque prorsus delitescent. Quapropter primis illis aestivis diebus demptis, reliquo anni tempore praedictis pyramidatis aculeis omnino caret: unde cum Plinius scribat: Duo lacus Italiae in radicibus Alpium Larius et Verbanus appellantur, in quibus pisces omnibus annis vergiliarum ortu existunt squammis conspicui crebris atque praeacutis clavorum caligarium effigie, nec amplius quam circa eum mensem visuntur. Dubio procul Pigum piscem, etsi innominatum eum relinquat, describit, cum is (ut infra monstrabimus) Larii et Verbanii lacus alumnus sit, et (uti diximus) in prima aestate (quo quidem tempore vergiliae exoriuntur) ejus squammae parte media, clavorum caligarium instar, praeacutae fiant. Habent enim caligares clavi, qui a caligis militibus, quibus suffigebantur, dicti sunt, pyramidata capita. Ejusmodi autem aculeos, sicuti Majo et Junio tantum mensibus, in dorsoque solum et lateribus; et non in ventre, Pigo enasci asseverant omnes, sic non foeminas, sed mares tantum inhorrescere, testantur nonnulli: Venter ex albo languide rubet:

tergus ex caeruleo nigricat. Quod ad interanea attinet, nil habet prae caeteris piscibus peculiare atque animadvertitione dignum. Cum maxime excreverit, quinas aut senas libras non excedit. Solius Larii atque Verbanii lacus accola est. Nemo enim in alio lacu flumineve eum reperiri hucusque (quod sciam) animadvertit. Et licet frequentiores in prima aestate, cum clavis illis caligaribus insigniti apparent, in iis lacubus capi soleant, reliquis etiam omnibus fere anni temporibus, in eisdem, etsi non aequae crebro, capiuntur. Majo Mense circa lacus littora *parit*. Sapore et succo Cypri- no est similis, paulo tamen melior. Salvianus ei carnem tribuit teneram atque sapidissimam, ideoque cum optimis quibuscunque dulcis aquae piscibus conferri posse et maxime in aestatis principio captum: hoc enim tempore nulli piscium esse secundum, et quovis denique modo conditum, probe semper sapere.

SCHILUM, qui et *Nagemulus*, ita *Aldrovand.* describit Gasserus. *Nagmail* piscis est *l. c. cap. 59.* in Ambronis lacu Bavariae, qui raro capitur, quoniam raro altius natando evehitur. Longissimus ulnam aequat. Forma non dissimilis est Lucio, nisi quod in aqua subviridis, extra aquam vero dilutior apparet: oculis albicantibus, ore retro juxta maxillas minus lato. Squammarum magnitudine, ordine et asperitate Percam refert. Pinnae dorfi erectae, *aculeis* tres fere digitis rigent. Praeter dorfi spinam paucas alias et parvas habet. Parit Martio. In cibo quidem optimus est Majo et Junio. Elixatus, assatus et frustatim concisus etiam frigi solet. Pinguis est admodum, et carnem etiam coctus albissimam servat.

CAPVT VIII.

De Saracho.

Piscem, quem Albanenses *Sarachum*, Ichthyopolae *Sarachinum* vocant. Bellonius *Agonum*, Jovius et Salvianus *Aconem*, Fracastorius et Jovius *Aquonem* vocant, ab officulis sine dubio illis acutis, quae asperam spinosamque in ejus ventre lineam constituunt, et veluti acus quidam sunt.

Rondeletius *Chalcidem*, quem Gaza *Aericam* vocat, dici opinatur, alicubi forte *Sardanella* dicitur. De ipsorum Generibus ita Bellonius. Tres sunt apud Insubres lacus, in quibus piscem vulgari Mediolanensium idiomate, *Agonum* nominatum capiunt, varium quidem eum.

Larius

Bellon. de Aquatilib. l. 2.

TAB. XXX.
Aldrovand. de Piscibus l. 5. c. 58.